



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso Liuoniae, qui communicare desiderans, hostia[m] reperit in
ore suo, cap. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Retulit nobis Dominus Bernardus de Lippa Abbas Liuoniae, nunc Episcopus ibidem, rem satis gloriosam. Cum quidam, si bene memini, Conuersus, qui nuper fidem susceperat, monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere cognouisset, stans contra altare communicandi desiderio suspirauit: & ecce, pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari per sacramentum descendere dignatus est in os eius; qui mox hostiam aperto ore ostendens, & causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos qui aderant in stuporem conuertit: eandem enim hostiam defuisse reppererunt in altari. Simile huic contingit ante hoc biennium, quod tanto erat mirabilius, quanto sensui humano profundius.

ERkenbaldus de Burban vir nobilis erat & potens, & tantus amator justitiæ, vt nullam in iudiciis respiceret personam: hic cum grauiter infirmaretur, lecto que decumberet, in proxima camera tumultum, clamoresque femineos audiuit: qui cum de causa sciscitaretur, nullus ei circumstantium veritatem dicere præsumpsit. Tunc mittens vnum ex pueris, ait: Præcipio tibi sub interminatione oculorum tuorum, vt dicas mihi meram veritatem. Cui ille pauens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestræ feminam vi opprimere voluit, & hæc fuit causa tanti clamoris. Ad quod verbum valde commotus, dixit militibus: Ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, postquam egressi sunt, dixerunt ad inuicem: Si occiderimus iuuenem hunc nobilem, & dominus noster, sicut opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt præsentia auunculi se subtraheret commonetes, post horas aliquas ad dominum suum ingressi, se eius implese mandatum affirmauerunt. Quinto verò die, iuuenis æstimans auunculum de culpa esse placatum, vel immemorem, aperto ostio introspexit: quæ vt infirmus con-

spexit,